

PRINCIPIA IURIS ROMANI

C.CIII, 8.

DE

COMPENSATIONE

1781, 2

12

ET

IVRE RETENTIONIS

AVCTORE

IOANNE CAROLO HENRICO

WINTERFELDT

IURIVM CANDIDATO₂



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.
MDCCCLXXXI.

Dr. Henr. Fr. B. Winter. Nachmer Weßler. Halle.

THEATRUM LIBRARII

23

COMPENSATIONE

14

URÆ REFINING

ADOLPHUS

JOVINE CAROLO HENRI

TELLERI

1744

THEATRUM LIBRARII
ADOLPHUS CAROLUS HENRI
TELLERI



SECTIO I.
DE
COMPENSATIONE.

CAP. I.
DE
COMPENSATIONIS INDOLE.

§. I.

Instituti ratio.

Cum Doctoribus retentio compensationi non solum
valde similis visa sit, sed etiam multi Do-
ctores retentionem pro compensationis spe-
cie venditauerint, factum inde est, ut in omni-
bus Pandectarum compendiis, sub titulo de compensa-
tionibus, simul tota, de iure retentionis, exponatur do-
ctrina. Nosquidem infra demonstrabimus, nullam pla-

A 2

ne

ne compensationis cum retentione esse similitudinem, sed tamen, cum de compensatione (a) potissimum agere animus sit, etiam de retentione, hoc loco, non incommodo agiposse putauimus, quoniam positis, a nobis statuendis, de compensatione principiis, longe aliter de iure retentionis sentiendum est, ac vulgo fieri solet. Duo igitur statim, nostri libelli, nascuntur sectiones, et quidem *prima* quae de compensatione, *secunda*, quae de iure retentionis iuris romani principia exponit.

- a) Inter omnes eos, qui iam ante me iura compensationis exposuerunt, quosque recentent **LIPENIVS** atque **SCHOTTIVS**, praeципue frequentes laudandi sunt 1) **SCIPIO GENTILIS** de compensationibus, Altdorffii 1592. 4. 2) **IAC. MAESTERTIVS** de lege commissoria, de compensationibus et secundis nuptiis, Lugd. Bat. 1639. 8. 3) **IO. TOB. CARRACH** diss. de brocardico illiquidum cum liquido nulla est compensatione vulgo Geld vor, Rechts nach, Hal. 1738. rec. ib. 1751. et in Progr. iunctim edit. Hal. 1767. et de praecipuis differentiis **L. R.** et **G.** in compensatione, Halae 1739. Qui omnes hanc iuris romani materiam tam eruditie enuclearunt, ut laborem plane inutilem fuscipere mihi videretur, qui, his magnis in iurisprudentia luminibus palmarum praincipiendi animo, hanc iuris romani doctrinam de novo expondere conatur. Quod autem ad me attinet, satis mihi erit, si, quae de compensatione specimenis academicici exhibendi causula conscripti, testimonio diligentiae haud inutiliter positae non plane indigna censeantur.

§. 2.

Compensationis definitio.

Iure romano obligatio valide contracta, variis iterum modis tolli potest, quos iuris Digestorum sistema nobis larga manu praebet. Hoc loco tantum, quae inter eos est, solutionem, quippe quae ad finem nostrum spectat, vterius considerabimus. Si nempe debitor id praे-

praefstat, ad quod praefstandum erat obligatus, soluere dicitur, atque adeo *solutio* est ille cventus, quo obligatio tollitur, per implementum eius praefitum (a). Iam vero *solutio* duplici ratione fieri potest. Vel enim sit per peculiarem actum, a debitore eum in finem suscepsum, vel non, seu ex legis dispositione pro peracta habetur, eam ob caussam, quoniam creditor debitor est factus. Priori in casu est *solutio in specie*. Posteriori in casu est *compensatio*. Compensatio igitur est *solutio*, quae sit absque peculiari actu a debitori eum in finem suscepito, quae vero ex legis dispositione pro peracta habetur, eam ob caussam, quia creditor debitor debitoris sui est factus. Ex hac definitione statim intelligitur: compensationem inuoluere breui manu traditionem. Tradito breui manu scilicet dicitur ea, quae, circuitus viantibus caussa, absque corporali actu suscepito, pro peracta habetur (b). Quam in compensatione deprehendi, quis non videt? Debitor enim creditori tradere teneretur, id, quod ei debet, sed quoniam creditor ei idem debet, adeoque idem viciissim tradere teneretur, haec traditio ex legis dispositione pro peracta habetur, quoniam alias duplex fieri debuitset *solutio*, atque adeo circuitus. Ita **IVLIANVS** in L. 2. ff. de compens. unusquisque creditorem suum, eundemque debitorem petentem summovet, si paratus est compensare. Ponamus igitur. Caium Titio debere 100 ex emto vendito, Titium autem Caio etiam 100 debere ex locato conduco. Titius actione emti debitum 100 petit a Caio, tunc Caius Titio opponere potest exceptionem compensationis. Quare compensatio brevius etiam definiri potest cum **MODESTINO** in L. 1. ff. d. t, quod sit: debiti et crediti inter se contributio (c). Solutio enim saepius vocatur tributio, seu etiam tributum L. 2. §. 2. ff. de leg. Rhod. §. 7. ff. eod. ergo sub contributione hic mutua *solutio* intelligitur.

a) **ILL. DARIUS** instit. iurisprud. priv. rom. germ. §. 635.
A 3 b) **ILL.**

-
- b) ILL. G. S. MADIHN instit. §. 186.
c) ILL. DARIES. l. c. §. 641.

§. 3.

Compensationis variae denominationes.

Compensatio, vti ex ipsa verbi compositione, (quod scilicet ex vocabulo *cum* (simul) et *pensatio* conformatum est) apparet, denotat mutuam solutionem. Pendere enim idem est, ac soluere. Eo scilicet tempore, quo nummi nondum publica auctoritate cudebantur, solutio peragebatur per appensionem aeris grauis (*a*). Vnde compensatio fiebat, cum quantitas aeris grauis, ab utraque parte debita, appendebatur, pendebatur, soluebatur. Praeterea compensatio in legibus romanis sub quatuor potissimum occurrit denominationibus. Interdum 1) dicitur *pariatio*, cuius exemplum prostat in *L. fin.* §. 3. ff. de cond. ind. 2) vocatur etiam *pensatio*. *L. 7. ff. de compens.* *L. 39. ff. sol. matr.* quoniam scilicet per compensationem *pensatio*, seu *solutio fieri potest*. (§. praec.) 3) *retentio*. *L. 4. de compens.* Tandem 4) *imputatio*. *L. 11. C. de compens.* Germanice vocatur *Abrechnung*, *Aufhebung*.

- a) VOET. tit. de compens. n. 1. GERARD. NOODT. d. t.*


§. 4.

Quibus modis compensatio fiat? An ea iure naturae detur?

Quoad modum, quo compensatio fieri potest, tenendum: illam duplici ratione fieri posse. Vel enim con-

conuentio inter mutuos debitores inita est, de mutuo debito compensatione tollendo, vel non, seu ex sola legis dispositione, absque tali conuentione, in casibus expressis sit. Priori in casu est *compensatio conuentionalis* (aliis: *voluntaria*). L. 6. C. de rei vind. L. 20. C. de solut. Posteriori in casu est *compensatio legitima*. (aliis: *necessaria*). Et cum ius naturae ea iura atque obligationes nos edoceat, quae, posita hominum natura, secundum summi Numinis voluntatem, necessario sunt ponenda, nemo non videt: secundum ius naturae, quatenus plures sibi inuicem naturaliter debent, eatenus etiam compensationem locum habere debere, quoniam ex ipso natura rei sequitur, per istiusmodi eventum obligationem naturalem eo ipso quoque ab utroque esse adimpletam. Principium enim iuris naturalis est: *neminem alterum in adquisitis perfectionibus etiam accidentalibus turbare debere.* Quare ponamus primum naturaliter secundo debere 100, eo ipso haec obligatio tollitur, simulac secundus etiam primo ad 100 obligatus fit. Non autem compensatio obtinere potest, si primus quidem secundo debet 100, secundus autem adimptionem officiorum postulat in eo casu, vbi eadem ad promouendas suas perfectiones essentiales, postis ponendis, indiget. Sed cum haec res longiorem disquisitionem iure mereri videatur, iisque autem principiis in foris ciuilibus opus non sit, statim nos conuertimus ad principia iuris ciuilis de compensatione, et quidem legitima, quum ea, quae de conuentionali dici possent, per se pateant.

C A P.



CAP. II.
DE
COMPENSATIONIS REQVISITIS
ET
EFFECTIBVS.

§. 5.

Compensationis requisita.

Cum igitur compensatio legitima in legibus ciuilibus fundamentum suum habeat, (§. praec.) statim apparet, illam nunquam locum habere, si illa deficiunt requisita, quae, quoad illam, legum sanctione constituta sunt. Requisita haec duplicis sunt generis 1) concernunt personas, inter quas compensatio locum habere debet 2) concernunt debitum, quod compensatione expungendum est. Et quod primo loco personas attinet, inter quas compensatio fieri debet, tenenda est regula iuris ciuilis: compensatio inter quoscunque fieri potest, qui sunt mutui debitores, L. 2. ff. de compens. verbis: *unusquisque creditorem — eundemque debitorem* (a), adeoque statim inde euadit propositio: *quicunque non sunt mutui debitores, inter eos quoque compensatio fieri nequit.* Quare 1) eius quod non illi debetur, qui conuenitur, sed alii, compensatio fieri non potest (b). L. 9. C. de compens. L. 18. §. 1. ff. L. 16. ff. d. t. Ponamus igitur Titium debere Caio 100, Caium autem debere Mevio, Titii amico, etiam 100. Caius condicione certi ex mutuo a Titio petit debitum. Titius illud vult compensare cum eo, quod Caius Mevio debet.

debet. Quaeritur num possit? Negatur. Nam vterque quidem Titius et Caius sunt debitores, sed non mutui debitores, adeoque cessat compensatio. Accedit, quod Titii exceptio in hoc casu esset exceptio de iure tertii, qualis exceptio vero nunquam admittitur. **L v d o v i c i** doctr. Pandect. tit. commodati §. 5. Inde etiam 2) *si tutor pupilli nomine aliquid petat, ei compensatio ob debitum proprium opponi non potest.* L. 23. ff. h. t. Ponamus sequentem casum. Caius est tutor Stichi. Seius Sticho debet 100, Caius autem Seio etiam 100 debet. Caius nomine Stichi actionem aduersus Seium instituit. Seius prouocat ad compensationem debiti sui, cum 100, quae Caius ei debet. Quaeritur num possit? Negatur, quia Caius et Seius non sunt mutui debitores.

Quousque autem mutui adsunt debitores, eosque etiam compensatio obtinere potest. Exemplum est in L. 36. ff. de admin. tut. vbi **PAPINIANVS:** *Inter tutores diuisa tutela est. Aequitas, quae merum ius compensationis inducit, propter officium, et personam, agentis tutoris non differtur. Nam diuisio tutelae, quae non iuris, sed iurisdictionis est, modum administrationi facit, et inter ipsos locum habet, nec experiri voluntibus obstat debet.* Casus hic erat. In testamento pupillo duo dati erant tutores, inter quos Praetor ita diuiserat tutelam, ut alteri negotio pupilli urbana, alteri negotia pupilli prouincialia committeret. Prior agit aduersus debitorem pupilli, qui vero obiicit compensationem debiti prouincialis. Quarebatur num possit? Responder **I**Ctus affirmando. Nam α) nihil interest, cum quonam tutore debitori pupilli res sit, quia, in vtroque casu, proprie illi semper res est cum ipso pupillo, cuius nomine tantum tutor agit. β) Quam primum debitor pupilli, etiam creditor ipsius pupilli factus est, eo ipso habet ius quaesitum, illi agenti, opponendi exceptionem compensationis, quod vero

B

ius

iuſ illi, per diuisionem tutilae factam, plane adimi nequit. Accedit y) quod secundum leges XII. tabularum tutela ſemper fuerit integra, atque indiuifa, licet plures dati ſint tutores. Quare diuifio tutelae, in hoc caſu a Praetore facta, compensationi prorsus obſtare non poterat.

- a) Ex quo compensationis *confuſione* liquet differentia. Nam ſicut
 - 1) compensatio debitum, inter duos existens, tollit, ita confuſio creditum et debitum in vna persona perimit 2) compensatio ſemper a libera voluntate eius, qui eam alteri opponendi ius habet, pender. *L. 2. ff. de compens. verbis: si paratus eſt.* Ve- rū confuſio a voluntate eius, in cuius perſona debitum perimitur, non pender, quum tam secundum legi diſpoſitionem, quam ſecundum ſanam rationem, nemo ſui ipſius creditor, aut debitor eſſe poſſit.
- b) Exceptio eſt: ſi is, qui conuenit, ex perſona illius tertii, cui actor aliquid debet exceptionem compensationis habeat, quod jure romano in ſequentibus caſibus contingit 1) in procuratore, *α)* in rem ſuam *β)* in rem alienam, qui nomine domini conuenit, ſecundum principia infra occaſione. *L. 21. ff. de compenſ. ulterius ſpectanda, 2) in fideiſuſore, qui a tali creditore conuenit, qui debitori principali aliquid debet. L. 5. ff. eod.* 3) in correo debendi, cum ceteris correis ſocio, qui eius compensationem creditori opponere potest, quod alteri ex correis deberur. *L. 10. ff. de duob. reis promitt.* 4) in filioſ familias, qui ſocietatem iniit. Hic ſocio eum conuenienti, opponi compensationem eius, quod patri ſuo ab hoc ſocio debetur, modo de patris ratificatione caueat. *L. 9. §. 1. ff. de compens.* 5) ſi debitor heres factus eſt eius, cui creditor aliquid debet. *L. 37. ff. de adg. vel emitt. hered.*

§. 6.

Continuatio.

Iam quoque ea compensationis requiſita expo-
nenda ſunt; quae, intuitu debiti per compensationem extin-
guen-

guendi, legum ciuilium factione constituta sunt. Debitum vero illud, 1) purum esse debet, adeo, ut debitum impurum, nunquam compensari possit, siue vtrumque debitum sit impurum, siue vnum alterumue tantum impurum sit. L. 7. ff. de compens. Debitum autem duplici ex ratione impurum esse potest a) si sub conditione debetur, et conditio nondum existit b) si in diem deberetur, et dies nondum venit. In legibus enim romanis distinguitur dies cedit et dies venit. Dies cedit, si obligatio existit. Dies venit, si obligationis implementum, cum effectu peti potest. L. 213. ff. de V. S. (a). Si igitur dies nondum cessit, de compensatione plane quaestio oriri nequit, quoniam obligatio nondum existens, plane non exsingui potest, et hac ex ratione cessat compensatio in debito conditionato, ante conditionis existentiam. Si vero dies cessit quidem, sed nondum venit, de compensatione quaestio oriri posset, vtrum ea possit admitti? Et negatur de iure romano. Quare compensatio tantum admitti potest, si debitum est purum, id est, si eius dies et cessit, et venit, quia tunc et peti potest, et solui debet. Sed bene etiam tenendum est interdum debitum videri in diem, atque adeo impurum, quod reuera ita se non habet, adeo, ut in tali casu compensatio omnino admitti debeat. Exemplum habemus in L. 16. §. 1. ff. de compens. vbi PAPINIANVS: Cum intra diem, ad iudicati executionem datum, iudicatus Titio, agit cum eodem Titio, qui et ipse pridem illi iudicatus est, compensatio admittetur: aliud enim est diem obligationis non venisse, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri solitum. Ut haec lex explicari possit, tenendum est: iis, qui per senteniam iudicis ad pecuniam alteri soluendam, erant condemnati, tempus concedi solitum esse, intra quod pecuniam explicare seu comparare possint. L. 31. ff. de re iudic. Iam casus in L. cit. sequens erat. Caius ad certam pecuniam Titio sol-

soluendum est condemnatus, et tempus ei indultum iam elapsum est. Titius interea Caio ad idem soluendum est condemnatus, sed tempus Titio indultum nondum est elapsum. Iam Titius intra hoc tempus agit aduersus Caium, actione rei iudicatae, ad iudicatum soluendum. Caius opponit exceptionem compensationis. Quaeritur an de iure? respondeatur affirmando. Nam quis non videt: debitum Titii reuera esse purum? Dies enim eius et cesserat, et venerat, statim post sententiam condemnatoriam, et tantum, humanitatis gratia, tempus ad comparandam pecuniam erat adiectum. Ergo etiam compensatio sine omni dubio locum habere debet.

¶ Vnde ad sequentem quaestionem facile respondere possumus: Creditor chirographarius nudus, (qui proinde in ultima classe collocandus est) moto concursu, bonisque debitoris subhaftatis, praedium subhafta emit. Iam pretium cum debito compensare s'vult. Quaeritur an compensatio admitti possit? Negamus. Cum enim creditoribus priorum classium nondum satisfactum sit, creditor chirographarius, ut sibi satis fiat, postulare non potest, quod omnino fieret, si pretium, pro praedio subhafta emto, soluendum, cum eo, quod sibi debetur, compensare vellet, quia illud reuera est debitum impurum. Ex quo simul patet: debitum purum omnino impurum fieri posse, per eum eventum, si intruisti bonorum debitoris, concursus creditorum mouetur.

§. 7.

Continuatio.

Iam vero debitum compensatione expungendum, debet etiam 2) esse liquidum. L. fin. §. 1. C. de compens. §. 30. I. de att. Debitum liquidum autem est, quod: non multis ambagibus innodatum, sed iudici facilem exitum sui praestare potest; verbo: quod juris exceptione aliqua non amplius potest labefactari (a). Ergo nec debitum illi-

illiquidum cum liquido, nec debita utrumque illiquidum possunt compensari. Ita Iustinianus *L. fin. cit.* Sed se-
cūs ante eum (b). Scilicet tunc temporis nulla ratio ha-
bebatur, utrum debitum esset liquidum, excepto casu, si
quis contra fiscum compensatione uti vellet, in quo casu
intra 2 menses debitum liquidum fieri debebat. *L. 46.*
§. 2 ff. de iure fisci. Sed quod iure antiquo ius fisci sin-
gulare erat, per leges recentiores *L. fin. §. 1. C. de com-*
pens. *§. 30. I. de att. ad omnes casus extensum fuit, in*
quibus aliquis compensatione uti vult. His praepositis
me verto ad decisionem quaestions a doctribus valde
disputatae: *an nempe debitum obligatione ciuili tantum mi-*
nus plena munitum, eum debito, obligatione ciuili plena mu-
nito, ipso iure possit compensari? seu, *ut doctores loquun-*
tur, an debitum naturale cum debito ciuili ipso iure compen-
setur? Fingamus sequentem casum. Titius Caio ex ludo
non prohibito debet 400, Caius autem Titio ex emto
vendito 400. Tunc manifestum est: Caium a Titio 400
ex ludo sibi debita, plane petere non posse, quoniam
ex ludo tantum obligatio ciuilis minus plena, ideoque
nulla actio oritur, atque adeo, *an Titio compensationis*
exceptio competit? plane non quaerimus. Sed ponam
Titium a Caio petere 400 ex emto vendito sibi de-
bita, quaeritur: *an tunc Caius opponere possit exceptio-*
nem compensationis, ratione 400, quae Titius illi de-
bet ex ludo? Multi doctores ad quaestionem propositam
negando respondent, adeoque in casu proposito Caio
exceptionem compensationis denegant. Videamus eo-
rum argumenta. Primum desumunt ex *L. 15. ff. rat.*
rem hab. quia ibi dicatur: compensationem esse petitio-
nem. Nunc, putantes, petitionem ibi denotare actio-
nem, compensationem debiti, obligatione ciuili tantum
minus plena munito, cum debito, obligatione ciuili ple-
na munito, ipso iure fieri ideo negant, quoniam propter

debita, obligatione ciuili minus plena munita, nulla prorsus actio, sed tantum exceptio competit. Verum hoc argumentum non stringit, quoniam *L. 15. cit.* loquitur de pacto non amplius peti, eique compensationem ideo aduersari dicitur, quoniam ea inuolueret petitio-nem. Secundum argumentum pertinet ex *L. 1. ff. de ex-cept.* vbi **V LPIANVS**: *agere etiam is videtur, qui exceptio-ne uititur: nam reus in exceptione actor est.* Hac lege ad exceptionem compensationis applicata, eam, intuitu de-bit, obligatione ciuili tantum minus plena muniti, ideo cessare putant, quoniam ob-talia debita nulla competit **actio**. Verum et hoc argumentum infirmitate laborare mihi videtur. Nam *L. 1. cit.* tantum loquitur de rela-tione excipientis ad agentem, quod scilicet reus, intuitu exceptionis, tanquam actor sit considerandus, ade-que eam probare debeat. His igitur negantium argu-mentis, ut mihi videtur, debellatis, accedo ad eorum sententiam, qui ad questionem propositam adfirmando respondent. Praesidium huius sententiae quaero 1) in ipfa indole obligationis minus plenae, quae in exceptio-ne opponenda consistit 2) in ipfa legum ciuilium disposi-tione, nempe in *L. 6. ff. de compens.* vbi **V LPIANVS** dicit: *etiam quod natura debetur, venit in compensationem.* Accipiunt quidem dissentientes hanc legem de compen-satione conuentionali, sed non video rationem, paefer-tim cum non praesumendum sit **V LPIANVM** aliquid di-cere voluisse, quod per se clarum est. Et tale quid omnino dixisset, si *L. 6. cit.* loqueretur de compensatio-ne conuentionali (§. 4.)

a) Pleniorum eius, quod liquidum et illiquidum dicendum sit, ex-positionem, vide sis in Progr. CARRACHII supra cit. et 10. WUNDERLICH diss. de re litigiosa non compensanda, Ienae 1758. §. 12.

b) Olim compensationi locus tantum erat in negotijs b. f. non au-tem in negotiis stricti juris, deinde autem ex D. MARCI con-si-

stitutione etiam in his, opposita doli mali exceprione, §. 30. L. de ag. Prudentibus praeterea placuit; ipso iure in omnibus actionibus in personam fieri compensationem. L. 4. L. 11. L. 21. ff. de compens. Iustinianus denique ad actiones quoque reales extendit. L. vlt. C. eod. quod de aestimatione rerum, et praefestatione pecuniae intelligendum est.

§. 8.

Continuatio.

Requiritur 3) ut debeatur res fungibilis, quae eum re fungibili ab altera parte debita, eiusdem est et qualitatis, et bonitatis. Sic propositionem rectius determinasse mihi videor, quam si quis dicat: compensanda sunt perfecto eadem. Res enim, ratione aestimationis, in relatione ad patrimonium, sunt vel fungibles, si tantundem ex eatum genere nobis est idem, seu quod idem est, si in suo genere nobis functionem praestant L. 2. §. 1. ff. de reb. cred. vel non fungibles, si non in suo genere, sed in suis speciebus functionem praestant. Quum igitur haec divisione a relatione rerum ad patrimonium nostrum pendent, manifestum est, rem certo respectu esse posse non fungibilem, quae alio respectu est fungibilis. His praepositis, veritas nostrae propositionis facile deduci poterit. Si enim mutuum debitum ponitur vel ab utraque parte debetur res fungibilis, vel non. Posteriori in causa, vel ab utraque parte debetur res non fungibilis, vel non, seu ab una parte res fungibilis, ab altera res non fungibilis. Si illud compensatio ideo cessare debet, quoniam in solitione, creditori inuito, aliud pro alio obtrudi nequit, L. 2. §. 1. ff. de reb. cred. quod omnino fieret, si creditori, compensationis exceptio, cum effectu opponi posset (a). Si vero posterius, compensatione admissa, emtio venditio celebratur, ad quam tam-

men,

men, iure communi, nemo potest cog. (b). L. 5. C. de O. et A. Priori vero in casu vel res fungibles, ab utraque parte debitae, sunt eiusdem bonitatis et qualitatis, vel non. Si hoc, compensatio cessat, quia haec res, hoc respectu, fungibles plane dici nequeunt. Si vero illud, compensatio, secundum regulam nostram, locum habere potest.

- a) Aliam rationem profert MAESTERTIVS qu. 18. n. 4. quod nempe nemo inuitus permutare cogatur. L. 5. C. de O. et A. Si autem ipso iure compensatio fieret specierum vtrinque debitarum, fieret permutatio coacta, quod principis iuris repugnat.
- b) In unico casu rem non fungibilem cum re fungibili ipso iure compensari dici posset, si scilicet res non fungibilis in aliquem aestimata, et quidem venditionis gratia, translata esset. L. 5. C. de iur. dor. Sed hoc proprie exceptionem a regula nostra non efficit, cum res, in alium, praevia aestimatione venditionis gratia, translata, eatenus non dici possit res non fungibilis. De aestimatione taxationis gratia certum est, propter eam nunquam compensationem, rei non fungibilis, cum re fungibili, procedere. Ceterum non obstat. L. 6. C. de compens. Ibi enim verba: *eo magis, quod ea te persequi dicas, quae a muliere diuortii causa amota queroris* aut intelligenda sunt de petitione aestimationis rerum amotarum, quae non amplius exstant, aut earum rerum amotarum, quae ab vxore in maritum, venditionis gratia aestimatae, translatae erant. Vbi enim leges de compensatione loquantur, ibi semper praeponitur, pecuniam vtrinque deberit. L. 4. C. d. t.

§. 9.

Continuatio.

Tandem 4) requiritur *ut debitum, compensatione expungendum, legis dispositione a compensatione non sit exceptum.* Regula enim iuris est: quocunque debitum compensatione tolli posse, et haec regula adeo est generalis,

ralis, ut non solum mora, ab utraque parte eodem tempore commissa, sed etiam dolus cum dolo, si pecuniarie agitur, ipso iure compensetur. *L. 17. ff. de peric. et commod. rei vend.* *L. 10. §. 2. de compensf.* *L. 36. ff. de dolo malo.* Ab hac vero regula generali leges ciuiles, intuitu nonnullorum debitorum, exceptionem fecerunt. Proinde nunc ea debita spectanda sunt, quibus, propter specialem legis sanctionem, exceptio compensationis opponi nequit. Haec autem sunt sequentia debita 1) depositum quoad rem irregularē (nam intuitu depositi regularis, et quoad vsum irregularis, ex principio supra traditis res per se patet) non compensari potest cum alio debito (a). *L. vlt. §. 1. C. de compensf.* 2) fisco non opponi potest compensatio, nisi eadem statio (b) debeat (c). *L. 1. C. L. 3. C. d. t. L. 46. ff. §. 5. de iure fisci,* 3) quod ex causa alimentorum debetur, cum alio debito non potest compensari. *L. 3. C. de compensf.* (d), 4) debitum annuorum salariorum, iis qui officium publicum gerunt, praestandorum eod. Denique 5) quod vestigium, tributorumque causa, reipublicae debetur eod.

-) Ut et aestimatio rei depositae, culpa lata, aut dolo depositarii peremptae, quoniam doli in iure nullus est fauor.
- b) De huius vocis significacione sequentia tenenda sunt. In singulis territoriis constituti erant homines, qui res fisci administrabant, et in locis, hunc in finem commodis, commorabantur. Iam ea ipsa loca, vbi quasi stabatur, et consistebatur, ad res fisci administrandas, vocabantur *stationes*, immo ipsum hoc munus, quod administrationem rerum fisci respiciebat, *statio* dicebatur. Verum enim vero, cum saepius persona administrans, pro ipso munere administrando sumatur, factum inde est, ut *stationes* etiam illi ipsi dicti sint, qui administrationem rerum fiscalium curabant, in quo sensu *statio* sumitur in *L. 1. C. b. 2. HVGO DONELLVS ad L. 1. C. de compensf.*
- c) Nec, si quis sit debitor reipublicae ex calendario, id est, si mutuam pecuniam pro usuis a ciuitate acceperit, quod debitum in calendariis:

C

lendarium, siue rationes foeneratiae pecuniae referebatur. L. 3.
C. de compens. Ratio denominationis in modo soluendi vſu-
ras apud Romanos posita est.

¶ Quae lex, licet tantum de alimentis reipublicae praestandis loqua-
tur, tamen, quia: *alimentorum cura præfens, et momentaria est*
L. 8. ff. de alim. leg. et arg. L. 27. §. 3. ff. de inoff. test. in-
terpretatione extenua, ad omnia alimentorum debita protracta
est. MAESTERTIVS, qu. 4. n. 5.

§. 10.

Compensationis effectus.

Quoties requisita compensationis, in §. §. praec.
enarrata, concurrunt atque adeo 1) inter mutuos debito-
res (§. 5.) ab utraque parte adest 2) debitum purum (§. 6.)
3) liquidum (§. 7.) 4) rei fungibilis eiusdem generis et
bonitatis, (§. 8.), et quidem 5) speciali legis dispositione
a compensatione non exceptum (§. 9.) toties semper, si
vtrinque aequalis summa debetur, quoad totum debitum,
si inaequalis, quoad summam concurrentem id est aequalem,
ipso iure (a) fit compensatio. §. 30. I. de aet. Compens-
atio igitur non tum sit, si, per modum exceptionis,
actioni, a creditore motae, opponitur, sed, immediata
legis dispositione, iam eo tempore facta est, quo mu-
tuum debitum existere incipiebat. Et ex eo quoque ex-
plicari potest L. 21. ff. de compens. vbi ICtus dicit: *postle-*
quam placuit inter omnes id, quod inuicem debetur, ipso
iure compensari, si procurator absentis conuenit, non de-
debit de ratio cauere, quia nihil compensat, sed ab initio mi-
nus ab eo petitur. Casus in L. 21. hic est. Si absentis
procurator, a creditore absentis conuentus, ei opponit
compensationem, non tenetur cauere, eum, cuius negotia
gerit, illud esse ratihabiturum, quia compensatio proprie
non a procuratore sit, sed ab ipsis legibus iam facta est.

His

His praepositis, etiam de effectibus compensatio-
nis facile iudicari potest. Compensatio enim est species
solutionis (§ 2.). Iam vero solutionis legitime factae
effectus est liberatio, scilicet ab obligatione, ergo etiam
compensatio liberationem efficere debet (b). Et cum
compensatio ipso iure fiat, manifestum est, ab eo tem-
pore, quo mutuum adest debitum 1) usuras cessare (c),
sive ab utraque parte debeantur aequales, sive ab una
parte maiores, ab altera minores. L. 11. 12. ff. d. t. L. 7.
C. de sol. L. 4. C. de compens. 2) pignus repeti L. 12.
C. d. t. 3) fideiussores liberari L. 4. ff. eod. et 4) moram
purgari, secundum regulam iuris civilis: nulla intelligitur
mora ibi fieri, ubi nulla petitio est, L. 88. ff. de R. I. adeo,
ut 5) qui, cum compensationis exceptionem opponere
posset, nihilominus soluit, solutum conditione indebiti
repetere possit. L. 30. ff. de condit. indeb.

a) Ex quo simul patet 1) exceptionem compensationis adhuc post la-
tam sententiam posse opponi L. 2. C. de compens. 2) indulsum
moratorium non impetrare, quominus, illud impetranti, com-
pensatio opponi poslit, arg. L. 16. §. 1. ff. eod. quam supra §. 6.
explicavimus. V.O.F.T. tit. de compens. n. 9. Ceterum, qui
agenti compensationis exceptionem opponit, eo ipso se debere
non confiteretur. L. 9. ff. de except. Late de hoc momento
MAESTERTIVS. qu. 29.

b) ILL. DARIES, l. c. §. 635. 643.

c) In L. 5. C. de compens. Imperator ALEXANDER A. Honora-
tae sic prescribit: Eriam si fideicommissum tibi ex eius bonis deberi
confar, cui debuisse re minorem quantitatem dicis aequiras compensa-
tionis usurarum excludit computationem. Petilio autem eius, quod
amplius tibi deberi probaueris, falsa relinquatur. Quae lex sequen-
ti cau potest illustrari. Honorata mihi 50 debet sine usuris.
Post aliquod tempus praeterlapsum, eidem Honoratae, in testa-
mento 100 legantur, in quo ego heres institutus sum. Ego au-
tem, interpellatus, legatum non solui, ac proinde ad usuras ex
mora obligor. Aliquot annis praeterlapsis Honorata a me petit
legatum, cum usuris ex mora. Ego autem tam hoc legatum;
ratione dimidiae, ergo 50, quam etiam usuras ex mora ratione

huius dimidiae, cum iis 50, quae Honorata mihi sine vñuris debat, compensare volo. Quæritur: an Honorata in hac compensatione, sibi, vt videtur, propter vñuras ex mora, damnoñā, acquiescere teneatur? Respondet Imperator affirmando. Compensatio enim ipso jure fit, quoad summam concurrentem, eo ipso jam tempore, quo mutuum debitum existit. Ergo eo tempore, quo ego Honoratae, quae m̄hi 50. sine vñuris debet, 100. debere incipio, meum debitum quoad 50. statim extinguitur. Debiti autem extincti nullae sunt vñrae, ergo nec vñrae 50. in dato casu extinctorum, peti possunt.

§. II.

*In quam cauſsam compensatio ipſo iure facta eſſe intel-
ligatur, si plura adſunt debita?*

Ex doctrina iuris romani: de solutionibus notum est, eum, qui ex diuersis cauſis debet, et indistincte soluit 1) in vñuras. Quod supereft 2) in grauiorem cauſam, aut si nulla cauſa grauior altera, 3) in antiquiorē m. et si nulla antiquior 4) in omnes cauſus pro rata soluisse praeſumti, quae praeſumtio eſt iuris et de iure, adeoque probationem contrarii excludit. L. 5. pr. §. 2. 3. L. 7. ff. de solut. Iam, cum compensatio sit solutionis species, hae legum dispositio-nes etiam ad illam sine dubio sunt extendendae. Ponamus igitur ſequentem caſum. Titius Maeuio debet 400. Sei Meuius Titio 1) ex cambio 400 2) ex emto vendito 400. 3) ex cauſa alius fortis illi creditae 400 vñuras. Titius actionem venditi movet aduersus Meuium ad confequendum 400., quae Meuius Titio ex emto vendito debet, Meuius opponit exceptionem compensationis, propter 400, quae Titius ei debet. Quaeritur num de iure? Respondeo negando. Compensationem quidem fa-ctam eſſe concedo, sed in quam cauſam? sine dubio in eam, in quam Meuius soluisse praeſumeretur, si 400. indistincte soluiffet,

soluisset, adeoque, in casu proposito, iam ipso iure compensatio eius, **quod Titius Mevio debet**, cum usuris debitum facta est.

**21 MOIUS ET HAVI
§. 12.**

An iuramentum obstat compensationi?

Quaestionem adhuc mouent doctores: *vtrum compensationis exceptio a debitore oponi possit, qui iure iurando se ad solutionem in parata pecunia praefundam obligauit?* Omissis doctorum opinionibus, quas recensuit, satisque refutauit Ill. **LUDOVICI** Doctr. Pand. tit. de compens. §. 8., statim meam sententiam proferam. Et, non obstante quidem iuramento, omnino compensationem locum habere contendo. Nam a) qui compensat soluit. Compensatio enim est species solutionis (§. 2.). Ergo compensando obligationem suam adimplevit β) compensatio fit ipso iure, et quidem iam ab eo tempore, quo mutuum debitum exsistit. L. 21. ff. de compens. (§. 10.) Postquam autem compensatio ipso iure facta est, debitum tollitur. Ergo de implemento obligationis iam extinctae non amplius quaestio oriri potest. Accedit non solum quod γ) iuramentum, iure romano, quidem obligationem reuera existentem confirmare, non vero nouam obligationem producere possit, sed etiam quod δ) manifestus adsit juris iurandi abusus. *Dolo enim facit, qui petit id, quod restituturus est* L. 8. ff. de dol. mal. et met. exc. Proinde creditor qui, licet debitor sui debitoris, in eadem qualitate et quantitate factus sit, tamen debitum petit, dolo agit. Nullus autem doli in iure romano est fauor.

S E C T I O N I I .
DE
I V R E R E T E N T I O N I S .

CAP. I.

DE
NATVRA ET INDOLE IVRIS RETENTIONIS.

§. 13.

Retentionis variae significaciones.

Vt vera iuris retentionis notio euoui possit vari significatus, quibus in legibus romanis vox *retentio* gaudet, praeponendi sunt. Quod igitur ad hoc momentum attinet, sequentes hoc loco notandi sunt retentionis significatus. Sumitur 1) pro detentione *L.* 1. 3. §. 3—6. de *lib. hom. exh.* 2) pro cohibitione *L.* 8. in *f.* *L.* 52. §. 2. ad *L.* *Aq.* §. 8. *I. eod.* 3) pro recordatione *L.* 92. *ff.* de *condit. et demonstr.* 4) pro restrictione libertatis contrahendi *L.* 3. §. 6. *ff.* de *ire fisci.* 5) pro conservatione iuris iam adquisiti *L.* 6. §. 1. *L.* 27. *ff.* de *adq. vel. amitt. pass.* *L.* 72. *ff.* de *procur.* *L.* 7. *ff.* de *capt.* 6) pro facultate repetendi et recuperandi. §. 11. *I. de hered.* *qua ab cit.* *L.* *ult.* *C. de reb. cred.* 7) pro denegatione restitutionis rei alienae. Inter omnes hos retentionis significatus, vltimum tantum, misfis reliquis, vterius profequemur, quippe qui nos ad finem nobis propositum dicit. Ponamus igitur aliquem rei alienae, quam possidet, restitutionem denegare, tunc in

in genere illam rem *relinquere* dicitur, atque adeo, vel rem alterius retinet in perpetuum, id est ita, ut nunquam eam restituendi animum habeat, vel ad certum finem. Priori in casu *retentionem perpetuam*, posteriori in casu *retentionem temporalem* dicere placet. Retentionis perpetuae varia in legibus prostant exempla, v. g. si heres quartam Falcidiam aut Trebellianicam detrahit. L. 4. C. ad SC. Treb. Sed huius retentionis, hoc loco, prorsus non habenda est ratio, sed potius ad retentionis temporalis indolem respiciendum est,

§. 14.

Iuris retentionis definitio.

Regula iuris civilis generalis est: *quislibet, qui rem alienam possidet, finita possessionis causa, id est cessante ratione legali, ex qua illam possidet, illam restituere debet, adeo, ut contra restituere detrectantem in subsidium conditio sine causa iure romano detur.* Proinde quilibet possessio rei alienae, finita possessionis causa, ad illam restituendam est obligatus, nisi, propter exceptionem, speciali legis dispositione factam, ab hac obligatione se liberare possit. (a) L. 3. §. 19. ff. L. 5. C. de adq. vel. amitt. poss. Iam adsunt casus, in quibus leges possessori rei alienae indulgent facultatem, eius restitutionem denegandi, licet causa possessionis sit finita, eum in finem, ut securus esse possit, intuitu obligationis alterius, cui res restituenda esset. Et cum facultas, rei alienae restitutionem denegandi, vocetur *retentio* (§. praec.) possessor in hoc casu *ius retentionis* habere dicitur. *Ius retentionis* igitur est *ius retentionem exercendi.* *Retention* vero est *denegatio seu dilatio restitutionis rei alienae, propter securitatem, in hac re quaerandam, obligationem alterius impletam iri, licet causa possessionis iam finita sit.* (b).

a) In

- a) In hoc consentiunt fere omnes, qui ius retentionis ex legitimis principiis considerauerunt, indeque cum res per se clara sit, lectorum ablegare sufficit, ad ea, qua PHIL. IAC. HEISLERVS diff. de iure retentionis Halae 1751. §. 25. seqq. et G. L. BOEHMER diff. de iure retentionis eiusque effectu (Goett. 1773.) §. 5. larga manu exhibent.
- b) Hanc definitionem non meo debo ingenio, sed eam in praelectionibus eruditissimi viri, atque elegantissimi ICti G. S. MADINVS, quem summa pietate veneror, exceperisse confiteor. Et haec definitio, sine dubio omnibus aliis, quae de iure retentionis dari solent, praferenda est, praesertim cum doctores non raro de retentione fallas plane proferant definitiones. Sic v.g. LAVTERBACH diff. de retent. rb. 2. sequentem exhibet definitionem: *est ius conseruandi possessionem rei alienae b. f. circa causam dominii adquisitae, donec dominus eam, summo iure petens, hoc, quod ex alia iusta causa debet, simul soluerit, vel alio modo satisfecerit.* Verum 1) adiucidendum omnino fuisse: licet causa possessionis iam finita sit. Ius enim retentionis non prius exercetur, quam finita, possessionis causa, qua nondum finita, quilibet possessor habet ius, conferuandi suam possessionem. Deinde 2) satis inique praeponitur possessio b. f., quippe quam leges nulla ratione requirunt, sed requirunt solum rei possessionem sine virio adquisitam esse. L. I. C. unde vi. HEISLER cit. Diff. §. 20. G. L. B. O. E. H. MER cir. diff. §. 8. 3) verba: *hoc, quod ex alia iusta causa debet innuunt LAVTERBACHIVM* putasse, ius retentionis, propter quolibet debitum eius, qui rem repetit, exerceri posse, de quo valde dubito, prout infra patet. 4) Verba: *donec dominus redundat definitionem nimis angustam, quasi scilicet ius retentionis tantum aduersus dominum exerceri possit.*

§. 15.

Iuris retentionis indoles.

Ponamus alicui competere ius retentionis, tum ille semper, propter ipsum hoc ius sibi competens, se defendere potest, aduersus eum, qui restitucionem rei statim faciendam postulat. Iam autem remedium defensivum iudiciale ICtis vocatur exceptio, ergo manifestum est.

est, vi iuris retentionis, possessori nunc competere exceptionem, licet illud nunquam ad actionem aliquam producendam idoneum sit, ita, ut ille, qui retentionem exercere cupit, amissa rei possessione, nullam, vi iuris retentionis, habeat actionem, ad eam rem, aut a tertio possessore, aut ab eo ipso, cui illam restituere tenebatur, recuperandam. Et ita simul patet, ad ius retentionis exercendum, semper possessionem, tanquam conditionem sine qua non, requiri. Denique, cum retentio tantum inuoluat dilationem restitutionis rei alienae (§. praec.), statim liquet: illam nec adquisitionem iuris in rem, quae retinetur, intuitu eius, qui illam retinet, nec amissionem iuris, domino in ea re competentis, operari.

§. 16.

Fundamentum iuris retentionis.

Cum ius retentionis semper praeponat exceptionem, legis dispositione a regula generali factam, quod quilibet possessio finita possessionis causa, rem restituere teneatur (§. 14.), nunquam sane illi locus concedi potest, quam in casibus, legum ciuilium sanctione determinatis, praesertim, cum retentio, sua indeole, priuata fiat auctoritate, quod vero priuatum iurium exercitium, nunquam admitti potest, nisi legibus consentientibus, quippe quae omne priuatum iurium exercitium penitus profligant (*a*). Sed in eo nobiscum non consentiunt plerique doctores, qui ius retentionis, secundum ius naturae dari, statuunt, rationem ponentes in defensione bonorum, naturae hominum quasi innata; quod argumentum etiam amplectitur HENR. V. BVSCH in diss. de retentione pignoris ob aliud debitum chirographarium occasione L. vn. C. etiam ob chirogr. praef. IO. ANT. TILEMANN dicto Schenkt, Bremae 1700. §. 12., quae dissertatio, intuitu legum explicationis, omnino nobis laudanda videtur,

D

licet,

licet, quoad ambitum iuris retentionis, ab hoc celeb.
BVSCH, vt infra patebit, dissentiamus. Plerique horum
doctorum, qui ius retentionis, in iure naturae statuunt,
illud toties admittunt, quoties aequitas naturalis illud
suggerere videtur. An ius retentionis iure naturae de-
tur? iam erudite disquisivit **HEISLER** cit. diff., interim
semper certum est, ius retentionis, si etiam iure natu-
rae datur, tamen per regulam iuris romani generalem
§. 14 propositam, penitus profligatum esse, adeo, vt si
illud locum habere debeat, semper speciali legis civilis
sanctione opus sit. Proinde certum est, *iuris retentionis*
fundamentum *solanum legum ciuilium sanctionem, in foris ciui-
libus, esse posse.* Falsum vero est, quod statuit **MOLI-
GNATVS** de retent. qu. 2. fundamentum iuris retentionis
esse ius pignoris, cum tam ipsa huius iuris notio quam
ea, quae §. 18. dicenda sunt, ad liquidum deducant, nul-
lam, ne minimam quidem iuris retentionis cum iure pi-
gnoris esse similitudinem.

a) Vnde distinctionem iuris retentionis in *legale, conuenionale et restitu-
mentarium*, quam profert **ILLA BOEHMER** cit. diff. §. 2., non
admittendam esse puto.

§. 17.

Effectus iuris retentionis.

Effectus iuris retentionis est *securitas intuitu obli-
gationis alterius*, ita, vt licet is, qui illud exercet, in
possessione rei alienae. finita possessionis causa permaneat,
eo ipso tamen moram non committat. Quum enim
quicunque possessor, finita possessionis causa, rem
possessam restituere teneatur, moram omnino committit,
si hanc obligationem non adimpleat, quo facto simul
omnes morae effectus, legum dispositione constituti (a),
in eum ponendi sunt. Secus, si ius retentionis a sua stat
parte. Mora enim est iniusta implementi obligationis
dilatio. In eo vero casu, ubi ius retentionis exercetur,
adest

adest quidem dilatio implementi obligationis, sed non iniulta, ergo nulla prorsus mora, adeoque atiam morae effectus ponи non possunt. Possessio igitur eius, quae, si ius retentionis ei non competenteret, iniusta esset, iusta est, omnesque effectus iustae possessionis producit. (b)

- a) Vid. LUDOVICI doctr. ff. tit. de usur et fruct. §. 16.
 b) IDEM tit. de adq. vel amitt. poss. §. 7. 8. IO. HENR. BOECKER
 LER diss. de favore iuris civilis erga possessores, Argent. 1745.

§. 18.

Differentia retentionis a pignore et compensatione.

Retention, secundum ipsam notionem suam §. 14. propositam, quidem tam a pignore, quam a compensatione, satis se distinguit, non defuere tamen, quibus haec iura quam maxime similia visa sint. Quam similitudinem ego profecto non video. Quod enim 1) pignus attinet, sequentes in promtu sunt differentiae a) retentione tantum dat exceptionem, nunquam vero actionem (§. 15.), quod secus intuitu pignoris b) ius pignoris est ius reale, cuius obiectum est ipsa res oppignorata, neutrimum vero retentione. Is enim, qui retentionem exercet, vi iuris retentionis, tantum habet ius personale in eum, cuius rem retinet, in ipsam vero rem retentionam nihil, praeter iura possessionis (§. 17.). Possessio autem ad iura realia, secundum veriora iuris principia referri nequit. G. S. MADHN inst. iur. ciu. §. 205. Quod vero 2) compensationem attinet, illa non minus a retentione quam maxime distat. Compensatio enim est modulus tollendi obligationem, eamque igitur habet indolem, ut is, qui rem aliquam vi illius retinet, ab obligatione sua, ad illam restituendam, plane liberetur. Verum retentione, obligationem eius, qui rem alterius retinet, plane non tollit, sed eam suspendit, usque dum is, cuius res retinetur, obligationem suam adimpleuerit. Ac-

D 2

ce-

cedit quod non modo α) compensatio ipso iure fiat (α); quod vero de retentione plane praedicari nequit, sed etiam β) compensatio semper preeponat, rem fungibilem (β) in alterius obligatione esse positam, quod vero longe secus in retentione. Proinde non subscribere possum α) ILL. LUDOVICI, qui in doctr. Pand. tit. de compensf. §. 9. retentionem compensationi adfinem esse dicit, et multo minus β) LATVENTBACHIO, qui retentionem compensationem temporalem vocat, cum etiam compensatio, sua indole, nunquam temporalis esse possit.

α) vid. supra §. 10.

β) vid. supra §. 8.

CAP. II.

DE

CASIBVS, IN QVIBVS IVS RETENTIONIS LOCVM HABET.

§. 19.

Iuris retentionis ambitus.

Cum ius retentionis, in sola legum ciuilium dispositio-
ne fundatum sit (§. 16.), atque exceptionem a regula iu-
ris ciuilis alioquin generali preeponat, sequitur: *illud*
preecise ad stritum esse debere, ad eos ipsos casus, in quibus
leges illud indulgent, cum quaevis exceptio, ultra casum
exceptum, extendi non debeat. Quod vero ipsos casus
attinet, in quibus leges hoc ius retentionis concedunt,
in genere tenendum est: *duo tantum dari casus, in quibus*
leges, possessori rei alienae, ius retentionis concedunt, adeo,
ut praeter hos casus, illud nunquam locum habere pos-
fit. Iam igitur casus istos videamus.

§. 20.

§. 20.

Casus I.

Casus primus, in quo iuri retentionis locus conceditur est: *si quis in rem alienam, quam possidet, impensas fecit necessarias.* Cum vero nullam in iuris romani voluminibus, legem hucusque inuenire potuerim, in qua haec propositio generalis satis distincte comprehensa esset, inductionis ope, eius veritatem, ex pluribus exemplis, probabo. Sic propter impensas necessarias ius retentionis exercet 1) possessio hereditatis, qui illam restituere tenetur *L. 38. 50. ff. de hered. pet. L. 33. ff. de cond. indeb.* 2) possessio rei alienae, contra quem rei vindicatio mota est. *L. 5. C. de rei vind. L. 48. ff. cod. (a)* 3) maritus, qui in dotem, cuius obiectum est res non fungibilis, atque adeo in fundum dotalem, impensas fecit necessarias. *L. 5. pr. ff. de impens. in res dot. fact.* §. 37. *I. de act. L. vn. C. de rei vx. act.* Si igitur dos aut in re fungibili, aut in re non fungibili, venditionis gratia aestimata, constituit, ipso iure fit dotis diminutio, ut ipsa sequentia legis verba ostendunt: *Quod dicitur necessarias impensas dotem minuere, sic erit accipendum, (vt et POMPONIVS ait), non, ut ipsae res corporaliter diminuantur, vixuta fundus, vel quocunque aliud corpus: etenim absurdum est, deminutionem corporis fieri, propter pecuniam: ceterum haec res faciet desinere esse fundum dotalem, vel partem eius.* Manebit igitur maritus in rerum detentione, donec ei satisfiat: non enim ipso iure corporum, sed dotis fit diminutio. *Vbi ergo admittimus deminutionem dotis ipso iure fieri? vbi non sunt corpora, sed pecunia, nam in pecunia, ratio admittit deminutionem fieri.* Proinde si aestimata corpora in dotem data sunt, ipso iure dos diminuetur, per impensas necessarias. *Hoc de his impensis dictum est, quae in dotem ipsam facta sunt. ceterum, si extrinsecus, non im-*

minuent dotem 4) conductor, qui in rem conductam impensas fecit necessarias. L. 55. §. 1. ff. loc. cond. 5) venditor propter impensas necessarias, in rem venditam, post contraactum celebratum factas. L. 13. §. 22. ff. de act. emt. vend. 6) is qui cum alio in communione est, et, durante communione, in hanc rem, impensas necessarias fecit L. 14. §. 1. ff. comm. diu. 7) usufructuarus, qui intuitu fundi usufructuarii, cautionem de damno infecto praeslitit, contra proprietarium, si aedes cederint, finito usufructu, fundo, iure retentionis, insitit. L. 22. pr. ff. de damno inf. 8) is, cui res aliena donata est, contra ipsum huius rei dominum, in ea re ius retentionis exercet, si in ipsam rem impensas fecerit necessarias. L. 53. §. 4. ff. de furtis, 9) commodatarius, qui in rem commodatam impensas necessarias fecit. L. 18. §. vlt. ff. commod. L. 59. ff. de furtis iunct. L. 15. §. 2. eod. In L. 59. cit. sic loquitur IVLIANVS: si is, qui rem commodaſſet, eam rem clam abstulifſet, furti cum eo agi non potefſt, quia suum recepiſſet, et ille commodati liberatus eſſet, hoc tamen ita accipiendo eſt, ſi nullas retinendo cauſas is, cui commodaſſe res erat, habuit: nam ſi impensas necessarias in rem commodatam fecerat, interfuit eius potius per retentionem eas feruare, quam vltro commodati agere adeoque furii actionem habebit. Ex his exemplis de iure retentionis, propter impensas necessarias competente, in legibus romanis occurrentibus, optimo iure propositionem generalem deducere possumus: quod quilibet poffeffor rei alienae, qui in eam impensas fecit necessarias, propterea iure retentionis gaudeat, adeo, vt licet secundum L. 11. C. depos. deposito quoad rem irregulari exceptio compensationis opponi nequeat, tamen nullum dubium fit, quin depositarius depositum retinere poffit, ſi in illud impensas necessarias fecerit. Differit VOLET. tit. de compens. n. 15. propter verba L. 11. C. depos., quae lex vero, cum tantum de compensatione loquatur, ad ius retentionis non eſt exten-

tendenda, prout omnis exceptio, vltra casum exceptum
non protrahenda est.

- Putat quidem Perill. G. L. BOEHMERVS, (cit. diss. §. 9.) b. f.
postförem etiam propter impensas viles exceptionem retentio-
nis habere, et prouocat ad L. 48. et 27. §. 5. ff. de R. V. sed
quum solum leges dicant, sumtum esse habendam rationem;
non nisi de quaestione loqui mihi videtur, an sumitus viles a pe-
titore restituendi sint? Certum est, ut ipse vir per ill. agnoscat, a
retentio in hoc casu, vt sibi videtur, ob impensas viles con-
cessa, non duci posse argumentum ad alios, in quibus propter
solas necessarias concessum est.

§. 21.

*Non datur ius retentionis propter impensas
viles et voluptuarias.*

Quod vero impensas viles et voluptuarias, in
rem alienam factas, attinet, bene tenendum est, propter
illas nunquam ius retentionis locum habere, cum leges
ciuiles, propter has impensas, nullum ius retentionis
concedant, potius ratione dotis expresse disponant, ma-
ritum propter impensas viles eam plane retinere non
posse (a) in L. vn. §. 5. C. de rei vx. ait. Cum enim nece-
ssariae quidem expensae, dotis minuant quantitatem, viles
autem non aliter in rei vxoriae actionem detinebantur, nisi ex
voluntate mulieris, non abs re est, si quidem mulieris volun-
tas intercedat, mandati actionem a nostra auctoritate, mari-
to contra uxorem indulgeri: quatenus possit per hanc, quod
utiliter impensum est, adseruari, vel si non intercedat mulie-
ris voluntas, utiliter tamen res gesta est, negotiorum ges-
torum aduersus eam sufficere actionem. Quae dispositio non
nullis doctoribus, qui de iuris retentionis ambitu sinistre
fentiunt, valde singularis visa est, vti e. g. Perill. LV-
DOVICI doct. ff. tit. de impens. in res dot. fass. §. 3. hanc
dispositionem L. vn. C. de rei vx. ait. tanquam speciale
quid venditat. Sed cum retentio locum non habeat, ni-

si in

si in casibus, legum dispositione expressis (§. 13. 16.), leges autem, propter impensas vtiles, in rem possessam factas, nunquam ius retentionis concedant, haec legis *vn.* C. dispositio profecto nulla gaudet singularitate,

¶ Eadem ob caussam leges denegant ius retentionis, in casibus, quos proposuit III. BOEHMER, cit. diff. §. 13.

§. 22.

Casus II.

Praeter casum §. 20, expositum iure Pandectarum nunquam ius retentionis exerceri poterat, usque dum iure Codicis, et quidem rescripto imperatoris GORDIANI, in alio adhuc casu ius retentionis concessum est. Disposuit nempe imperator: *quod creditor pignus, soluto debito, pro quo datum erat, propter aliud debitum chirographarium reinere possit, donec debitor quoque, ratione huius debiti, illi satisficerit.* Et hic est secundus casus, in quo iuri retentionis locus concedi potest. Rescriptum vero GORDIANI ita se habet in L. vn. C. etiam ob chirogr. pec. Pignus intercidit, si, nouatione facta, in alium ius obligacionis transtulisti, nec ut ea res pignoris nomine teneretur, tibi cautum est. Quod si pacatum inter te, eumque, qui postea dominus fundi constitutus, nouam obligationem suscepserat, intercessit, ut idem fundus pignoris nomine teneretur, quamvis personali actione expertus feceris condemnationem, pignoris tamen habes persecutionem. At, si in possessione fueris constitutus, nisi ea (quoque) pecunia tibi a debitore reddatur, vel offeratur, quae sine pignore debetur, eam restituere propter exceptionem doli mali non cogeris. Iure enim contendis, debitores eam solam pecuniam, cuius nomine ea pignora obligauerunt, offerentes, audiri non oportere, nisi pro illa etiam satisficerint, quam mutuam simpliciter acceperunt. Quod in secundo creditore locum non habet: nec enim necessitas ei impunitur chirographarium etiam debitum priori creditori offerre.

*ferre. P. P. Id. Mart. GORDIANO ET AVIOLA
Coss. 240.*

§. 23.

L. vn. explicatio.

Vt vero eo magis ambitus huius legis appareat, casum in ea contentum, euoluamus. Continet autem L. cit. rescriptum imperatoris GORDIANI in causa A. Festi. Debibor A. Festi ei in securitatem crediti fundum suum pignori dederat. Postea hunc fundum oppignoratum, consentiente creditore, ita vendidit, vt 1) emtor obligationem suam in se recipiat 2) fundus creditori A. Festi oppignoratus maneat, quod ultimum per paetum inter A Festum, et fundi emtorem effectum fuit. Nunc dicit imperator: *Pignus — — teneretur i. e. cum emtor fundi, obligationem prioris debitoris in se reciperet, nouatio siebat, ergo cum hac nouatione obligatio prior principalis extingueretur, etiam accessoria sublata, atque adeo pignus liberatum esset, nisi A. Festus cum emtore paetus esset, vt idem fundus pignoris nomine teneretur, i. e. vt fundus sibi, tanquam pignus, obligatus maneat, quare, hoc facto, pignus non soluitur, licet nouatio facta sit.* Iam ille fundi emtor, qui, per nouationem, A. Festi debitor sub pignore factus erat, illi adhuc aliam pecuniae summam, nullo pignore munitam, debebat. Debitor soluebat eam pecuniae summam, intuitu cuius pignus dererat, et ob eam rationem pignus repetebat. Cum vero Festus tunc, ratione debiti alterius chirographarii, nullam haberet securitatem, pignoris restitutionem denegabat, ideoque a suo debitore actione conueniebatur pignoratio. Hac causa, ad imperatorem delata, ille rescripsit: *creditorum, si in pignoris esset possessione, etiam soluto debito, cuius ratione datum erat, illud tamdiu retinere posse, donec ei debitor etiam ratione debiti chirographarii satisficerit. Subiungit vero statim; hoc beneficium locum non habere debere*

E

in

in secundo creditore, quod ad illustrandum, sequentem fin-
gamus casum. Caius Titio debet et Mevio. Titio de-
bet 10000 et quidem 5000 sub pignore, 5000 absque pi-
gnore. Mevio debet 5000. Meuius offert Titio 5000,
quae Caius ei sub pignore debet, ab eoque petit, vt ei
pignus cedat. Titius respondet: se pignus cedere nolle,
nisi ei quoque a Mevio soluantur 5000, quae Caius ei de-
bet absque pignore, prouocans ad L. vn. cit. Quaeritur
an possit? Respondetur negando, propter verba impera-
toris: quod in secundo creditore &c.

Ex his igitur appetet: propter quodcunque debi-
 tum chirographarium, modo sit liquidum, creditor ius
 competere, pignus, soluto debito pignoratio, tamdui
 retinendi, donec ei quoque, intuitu debiti chirographarii,
 fuerit satisfactum. Lege enim non distingueente, ICtus
 non distinguit. Proinde egregie falluntur, qui hoc ius re-
 tentiois propter debitum usurarium, locum non habere
 posse existimant. Hi praeter plura alia argumenta, qui-
 bus iam erudite satisfecit Perill. de BVSCH. cit. diff. C. 3.
 §. 3. seqq., proferunt etiam nonnullas leges, quae L. vn. C.
 obstante videntur. Ad has leges igitur respiciamus. Pro-
 ferunt L. 11. §. 3. ff. de pign. ait. L. 4. C. de usur. L. 27. C. eod.

§. 24.

Leges obstantes examinantur.

In L. 11. §. 3. ff. de pign. ait. dicit VLPIANVS: si
 in sortem duntaxat, vel in usuras, obstrictum est pignus, eo so-
 luto, propter quod obligatum est, locum habet pignoratio, si-
 ne autem usurae in stipulatum deductae sunt, siue non, si tamen
 pignus et in eas obligatum fuit, quamdiu quid ex his deberur,
 pigneratio cessabit. Primo notandum est summum atque
 elegantissimum CVIACIVM loco verborum: duntaxat,
 vel in usuras, legere: duntaxat nec in usuras, qua lectione
 vero commode supersedere possumus, cum vulgaris le-
 ctio, ad eruendum legis sensum, satis abunde sufficiat.

Di-

Dicit autem ICtus in hac lege: ponamus aliquem dedisse pignus, aut tantum ratione fortis, non vero pro usuris, aut tantum ratione usurarum, non vero pro forte, priori in casu, pignus soluitur, soluta forte, posteriori vero in casu, soluitur, solutis usuris, adeo, ut tunc debitor pignus suum, actione pigneratitia, possit repetere. Ex hoc concludunt doctores, retentionem intuitu debiti usurarii cessare. Verum satis inique. Ne dicam, quod si etiam L. ff. cit. legi vn. C. obstareret, illa, tanquam lex antiquior, huic, tanquam recentiori, cedere deberet, quae indefinite, ratione omnium debitorum chirographariorum liquidorum, ius retentionis concedit, primo statim intuitu apparet legem ff. cit. loqui de actione pigneratitia, et quando haec locum habeat, legem C. autem tantum dare exceptionem, aduersus actionem pigneratitiam. Quod vero ad L. 4. C. de usur ac L. 22. C. ead. attinet, tenendum est, ibi sermonem de debito usurario illiquid esse, cum praesertim in specie L. 22. proposita, quantitas usurarum incerta fuerit. Cum vero ius retentionis, ex L. vn. C. exercendum, semper praeponat, debitum chirographarium effliquidum (§. 23.), manifesta est ratio, quare in casibus, de quibus LL. codicis citatae loquuntur, nullum ius retentionis statuendum sit.

§. 25.

Vlterius ius retentionis locum non habet

Praeter hos casus §. 20. 22. propositos, nunquam iuri retentionis dandus est locus. Cum enim versemur in exceptione a regula generali (§. 16.) ultra casus exceptos sane non progrediendum est. Vnde fallitur b. L V D O V I C I qui in doctr. pand. tit. de compens. §. 9. dicit: *Alias iuri retentionis, priuata auctoritate exercendo, semper locus est, quoties alter nobis obligatur, debitum liquidum est, et ex debitoris rebus aliquid in nostra potestate iusto modo deprehenditur.* Verum hoc non admittendum est, siue ius retentionis

nis priuata, siue publica auctoritate exerceatur, quoniam iudex nunquam nouas a lege exceptiones admittere potest. Hunc errorem etiam errauit cit. Perill. de **BVSCH.** C. 3. §. 19. 21. Plane etiam reiencia est regula, ex **MOLIGNATO** ibi adducta: *nemo cogitur de possessione discedere, quousque sibi est satisfactum.* Pari errore etiam doctores indistincte aduocato in documentis, quae a cliente habet, vxori, in bonis mariti, ratione dotalitii (a), et futori, in calceis confessis, concedunt retentionem. Nam, quod ad posterius momentum in specie attinet, si quis a furore calceos sibi confici curat, emtio venditio celebratur (b), et si in emtione venditione, emtor, qui pretium nondum soluit, rem emtam, actione emti, petere vellet, ei opponeretur exceptio implementi non fecuti (c). Ergo hic iure retentionis opus non est.

a) ILL. PÜTTER elem. iur. germ. §. 349.

b) ILL. LUDOVICI doctr. ff. tit. loc. cond. §. 10.

c) IDEM. tit. de act. emt. et vend. §. 2.

§. 26.

Conclusio.

Concludo cum quaestione: *an is, qui ius retentionis habet, teneatur rem restituere, si aduersarius cautionem idoneam de implenda sua obligatione offert?* **VOETIVS** comment. ad Pand. tit. de compel. n. 21. purat: illud penderet ab arbitrio iudicis. Sed huic sententiae subscribere non possum. Nam tanta iudici a legibus non indulta est potestas, ut alicui ius suum quaesitum adimere possit. Proinde, in quaestione proposita, potius a solo eius, qui iure retentionis gaudet, penderet arbitrio, *vtrum iuri retentionis renunciare, cautionemque, sibi oblatam, accipere velit, an, reiecta cautione, in iure retentionis praesidium quaerere malit.*

Frankfurt a. O., Diss., 1776-97


ULB Halle
007 520 611

3



N 718

B.I.G.



Farbkarte #13

Centimetres

Inches

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

PRINCIPIA IVRIS ROMANI

DE

COMPENSATIONE

ET

IVRE RETENTIONIS

AVCTORE

IOANNE CAROLO HENRICO
WINTERFELDT

IVRIVM CANDIDATO₂



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.
MDCCCLXXXI.

*Das Heilige Psalmschulbuch der Domkirche zu Halle,
aus dem Drucke des J. C. Winterfeldt, 1781.*

CXLIII, 8.

1781, 2

12